

GERMANIA

rant. eius gentis cum qua bellum est captivum quoquo 6
modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis
quemque armis, committunt: victoria huius vel illius pro
praeiudicio accipitur.

5 De minoribus rebus principes consultant, de maioribus II
omnes, ita tamen ut ea quoque, quorum penes plebem
arbitrium est, apud principes praetractentur. coeunt, nisi 2
quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut
incohatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspi-
10 catissimum initium credunt. nec dierum numerum, ut nos,
sed noctium computant. sic constituunt, sic condicunt:
nox ducere diem videtur. illud ex libertate vitium, quod 3
non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius
dies cunctatione coeuntium absumitur. ut turbae placuit, 4
15 considunt armati. silentium per sacerdotes, quibus tum
et coercendi ius est, imperatur. mox rex vel princeps, 5
prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum,
prout facundia est, audiuntur auctoritate suadendi magis
quam iubendi potestate. si displicuit sententia, fremitu 6
20 aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt: honoratissi-
mum adsensus genus est armis laudare.

Licet apud concilium accusare quoque et discrimen 12
capitis intendere. distinctio poenarum ex delicto: prodi-
tores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et imbelles
25 et corpore infames caeno ac palude, iniecta insuper crate,
mergunt. diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera 2
ostendi oporteat dum puniuntur, flagitia abscondi. sed et
levioribus delictis pro modo poena: equorum pecorumque
numero convicti multantur. pars multae regi vel civitati,
30 pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exsolvitur.